C. J. 11. Aprilis 1636.

58.

59

63

✠

VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV THOMÆ ALEGRE.

SVPER IVRISFIRMA GRAVAMINVM FACTORVM: IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, 1636.

IN DEI NOMINE. Nouerint vniuersi, quod anno computato à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die vero quæ computabatur vndecima mẽsis Aprilis, apud Ciuitatẽ Cæsaraugustæ, & in Camara Cõsilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, interuenerunt, & fuerũt præsentes Illustres Domini Doctores Hieronymus Garcia de Benabarre, Hieronymus Torrero & Embun, Didacus Canales, Ioannes Chrysostomus de Exea, & Hieronymus Caluo, Locumtenentes Illustrissimi Domini Don Augustini de Villanueua, & Diez Militis, Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, coram quibus fuit positus processus *Thomæ Alegre, super iurisfirmã grauaminum factorum*: In quo tam dictus dominus Doctor Ioãnes Chrysostomus de Exea causæ Relator, quã cæteri *domini Locũtenentes concordes fuerunt voti, & opinionis, quod tenentur, & debent pronuntiare iurisfirmam oblatam, obtentam, & præsentatam pro parte Reuerendi Thomæ Alegre exponentis, fore, & esse reÿciendam, & repellendam, eamque reijci, & repelli debere quo ad omnia grauamina in cedula grauaminum, pro eius parte oblata, deducta, & articulata, neutram partium ex causa in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere.*

EX EO, & aliàs, reijcitur, & repellitur iurisfirma obla-

ta,

ta, & præsentata pro parte dicti Reuerendi Thomæ Alegre, quoniam cum teneretur adducere ad præsentem Curiam Domini Iustitiæ Aragonum, totum, & integrum processum Iudicis à quo, non solum quod ad sui interesse attinet, & ad probandam suam intentionem, sed etiam quod attinet ad interesse aliorum, & aliter esset percutere ordinem iudicij, & non adesse subiectum super quo petitur iustitia, & reformatio grauaminum dicto Thomæ Alegre, vt ab eo prætenditur factorũ, nam non præsentatis integris actis non adest iurisdictionis exercitium in Iudice appellationis, nec causa ad ipsum deuoluta censetur: Et cum in processu dicti Iudicis à quo per eundem Thomam Alegre exponentem fuerit exhibitum prothocolum, seu nota quondam Dominici Miguel Notarij anni millesimo quatuorcẽtesimo nonagesimo tertio, continens quinquaginta folia, *integra, & non lacerata inter alba*, & scripta, & cum appareat ex deductis, & probatis in præsenti processu à dicto prothocolo deficere *folia trigesimum tertium, trigesimum quartum, & quinquagesimum*: In quo ad erat quoddam instrumentum super quo Iudex à quo interposuit suum iudicium ad suam sententiam ferendam, *& lacerata fuisse folia quartum, septimum, nonũ, vndecimum, decimũ quintum, decimũ nonum, vigesimum nonum, trigesimum sextum, quadragesimum quintum, & quadragesimum nonum*. Inde est, vt præsens Curia Domini Iustitiæ Aragonum nullum interponere possit iudicium super grauaminibus, deductis per præfatum Reuerendum Thomam Alegre exponentem.

Nec refragatur prædicta folia quę in dicto prothocolo deficiunt, & sunt *lacerata*, nõ esse partes processus Iudicis à quo, nam cum videatur dictũ prothocolũ, vt apparet ex memoriali facto per dictum Licenciatum Alegre, in dicto processu Iudicis à quo, sub die vndecimo mensis Octobris, anni millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, solum ad latum fuisse ad processum Iudicis à quo ad finem, & effectum comprobandi, & collationandi, quoddam instrumentũ prothestationis per dictum Thomam Alegre, exhibitum, & fidefactum, cum nota dicti instrumẽti in dicto prothocolo, in

in folio decimo tertio, pagina secunda contenta, ac per consequẽs: videtur quod dicta nota, præfati instrumenti protestationis, tantum erit pars processus dicti Iudicis à quo, non verò alia instrumenta in dicto prothocolo contenta.

Nam respondetur non solum instrumẽtum protestationis in dicto prothocolo, contentum esse partem processus Iudicis à quo, sed etiam omnia instrumẽta in dicto prothocolo contenta, cum non solum per dictum Licẽciatum Thomam Alegre, fuisset adductum ad processum Iudicis à quo dictum instrumentum protestationis in dicto prothocolo contentum ad fines prædictos (vt dictum est) sed etiam alia instrumenta, vt apparet ex memoriali facto, per dictum Alegre, sub die quarto mensis Nouembris prædicti anni, in illis verbis: *Vt instrumẽtum publicum protestationis, & declarationis dicti Ioannis Alegre, cum eius notula, & prothocolo comprobetur, & collationetur, & fiat comparatio, & visura de littera notulæ dicti instrumenti,* cum alia littera, seu litteris aliorum instrumentorum, in prædicto prothocolo continuatis, vt omni tempore constet esse, vnam, & eandemmet litteram, & ex publicatione facta in processus Iudicis à quo, sub die septimo supradicti mensis, per dictum Thomam Alegre, vbi simpliciter, fecit fidem de prædicto prothocolo, & de omnibus instrumentis in eo contentis, in illis verbis: ITEM de originali, prothocolo vigore dictarũ litterarum dicto Ioãni Assensio, Notario cõpulsato, & per dictũ eius Procuratorem desuper ducto, & de notula dictæ protestationis, & declarationis in eodem continuato, & de omnibus alijs, & singulis in ipso prothocolo, & notula contentis.

Nec etiã refragatur in præsenti processu declaratũ fuisse Thomam Alegre exponentem legitimè repræsentatum, cum toto processu Iudicis à quo, quando Notarius processus Iudicis à quo satisfacẽdo compulsæ præsentis Curiæ eidem intimatæ, vt illum ad præsentem Curiam attulisset, certiorauit prædicta folia deficere, & lacerata esse, & præsens Curia declarauit satisfecisse compulsæ, & Thomam Alegre fuisse legitimè repræsentatum cum processu Iudicis à quo.

Nam respondetur, hoc posse

se procedere ad hoc, vt de desertione præsentis electionis iurisfirmæ, non posset opponi contra eundem Thomam Alegre, per Procuratores Fiscales Maiestatis Domini nostri Regis, & Ciuitatem Cæsaraugustæ, non verò, vt non possit opponi prædicta exceptio, quod non est ductus integer processus ad præsentem Curiã domini Iustitię Aragonum ad merita causæ, nam cum prędicta exceptio sit anomala, & priuilegiata cũ participet de dilatoria, & peremptoria potest opponi, vt dilatoria in limine iudicij, & vt peremptoria ad merita causæ, quamvis vt dilatoria non operabitur, & nullum vertitur dubium, quod prædicta exceptio sit peremptoria, & respiciat merita causæ, cum non possit in dicto processu defectuoso, legitima sententia proferri, & aliter esset, videre festucam in nullo alieno, & non trabem in proprio, & in casu simili, ita videatur iudicatum antiquis tẽporibus in præsenti Curia domini Iustitiæ Aragonum, & ob id iurisfirmam oblatam, obtentam, & præsentatam pro parte dicti Reuerendi Thomę Alegre exponẽtis, fore, & esse reijciendam, & repellendam censemus, provt eam reijcimus, & repellimus neutram partium in expensis, ex causa condemnando, & aliàs attent. content.

Sig†num mei Iosephi Martinez in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateque Regia per totam terram, & dominationem Domini nostri Regis publici Notarij, ac Secretarij principalis Consilij prædictæ Curiæ, qui huiusmodi vota, & motiua à suo originali libro dicti Consilij de anno supra in principio calendato, vbi continuata existant, extraxi, comprobaui, & signaui. Approbo emmendat. b. u. o.